

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0748

0746

0752

0742

0757

0737

0797

0697

0847

0647

0247

Ende

Anfang

175

dorsum civitati Segor vertit, terrae motu corruit, et tota cum omnibus in ea existentibus praecipitata fuit deorsum et igne sodomitico involuta et consumta est. De hac civitate habetur Genes. XIX.

Super Segor est mons altus, in quem ascendit Loth cum duabus filiabus suis, ne igne consumerentur. Videntes autem filiae Loth matrem suam Melasedam periisse, et patrem senio confectum esse, totamque regionem ardere in parte inferiori, et montana illaesa manere, recogitabant modum, quo suscittarent sibi posteritatem, et patrem vino ineibriaverunt. Quo inebriato et ratione sopita senior filia ad patrem nocte in tenebris est ingressa ad eum, qui concubuit cum ea, et concepit. Sequenti die iterum eum ineibriaverunt, et nocte junior ad eum venit, cum qua etiam concubuit, quae et foetum concepit. Cumque impletum esset tempus pariendi, peperit prima filium, quem vocavit Moab, secunda etiam peperit filium, quem vocavit Ammon. De his duobus filiis diffusae sunt duae magnae gentes, de quibus habetur Genes. XIX, et in serie sacrae Scripturae nominantur saepius. Hunc montem ad latus habuimus, et dominis peregrinis factum Loth cum filiabus recitavi cum jocunditate. Ad aliud vero latus montes Quaren-tinae cum deserto Adammim habuimus, de quibus est dictum supra, fol. 211.

Post predicta conjecimus oculos nostros ad locum, in quo stabamus, et multos cumulos lapidum ibi erectos per Sarracenos vidimus, ut dixi fol. 243, A. Ipsos autem cumulos erigunt Sarraceni in Moysis honorem, quia ibi determinate videatur mons Abyrim, et vertex Phasca, in quo Moyses contemplabatur haereditatem Domini, ut patet fol. 243. Propter hoc factum, quando Sarraceni in hunc locum veniunt, cumulos erigunt, et contra montem orant flexis genibus. Sic etiam Christiani faciunt, quando a longe locum aliquem indulgentiarum videre possunt, cruces erigunt et lapidum cumulos. Non longe ab ipsis cumulis vidimus unam altam et novam pyramidem muratam, sub qua Sarraceni mentiuntur Moysen esse sepultum, quod est contra canonem Bibliae, Deuteronomii ultimo.

